

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio Theologica Solennis De Termino Salutis
Humanae Peremptorio**

**Neumann, Johann Georg
Green, Georg Sigismund**

Vitembergae, 1700

§. I

urn:nbn:de:bsz:31-105555

ultimam mortis horam prorogari. Jam vero ex allegatis exemplis evictum est prius, ergo & consequitur posterius.

§. XVI.

Quibus in hunc modum confectis, illud VI. sedulo monendam, ne quis hac assertionem nostram quoddam securitatis asyllum adornari putet, ad quod se recipiant contumaces, ubi ad agendum pœnitentiam impelluntur. Nam 1.) Διλονία τῆς πœνιεντίας non minus legis severitatē, quam Evangelii dulcedinem, exposcit: ne mentibus securis per omissionem officii Legalis frigida suffundatur: pavidis autem, vel dubitationis vel desperationis somenta suppedirentur. 2.) Dilationem pœnitentiæ, nemo bonus non detestatur, quippe quod Deus hominem privare usu rationis, ex vivis eripere, & innumeris casibus τὸ *Hodie* *Pf. 95, 6.* finire, adeoque in præsentissimum animæ periculum conjicere potest: *Quis vobis monstravit, fugere a ventura ira? jam enim securis ad radicem arboris posita est; facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Matth. 3, 7.* 3.) denique multos esse impœnitentes, qui subinde deteriores fiant, & ad finem usque vitæ sub ira Dei maneant; iterum a nobis minime negatur: sed an his ad pœnitentiam, sic intercerpta sit via, ut per decretum judiciale Deus nolit ipsis conversionis gratiam restituere, id in præsentem disceptatur. Quæstio itaque, ut rem paucis complectar, huc redit: *An peccatori, dum vivit, ad Salutem pateat, per pœnitentiam aditus; vel potius termino quodam peremptorio longe ante obitum hinc excludatur?* Affirmamus quæsitum prius; posterius vero, ut heterodoxum ac damnabile repudiamus.

SECTIO II.

§. I.

EXplicatis iis, quæ ad statum controversiæ pertinebant, de
i. sis

ipsis causæ nostræ præfidiis circumspiciendum est, Ac initio quidem Harmoniam ostendere juvat, quæ huic sententiæ cum Hæreticis & Schismaticis, priorum temporum, intercedit; ut adeo, vel ex toties repetito Ecclesiæ consensu, orthodoxam hanc fidem esse, & omni tempore assertam, demonstramus.

§. II.

Ac I. quidem *Novatianismum* involvit hæc illorum assertio, jam olim ab Orientali æque ac Occidentali Ecclesia profligatum, & denuo *Art. XII. A. C.* rejectum. De Novatiano sic scribit Cyprianus: *Ille post Dei traditionem, post connexam & ubique conjunctam Catholicæ Ecclesiæ unitatem, humanam conatur Ecclesiam facere, & per plurimas civitates, novos Apostolos suos mittit, ut quadam recentia institutionis suæ fundamenta constituat; cumq; jam pridem per omnes provincias & per urbes singulas ordinati sint Episcopi, in ætate antiqui, infide integri, in pressura probati, in persecutione proscripti: ille superbos, creare alios Pseudo Episcopos audet, quasi possit aut totum orbem novi conatus observatione peragrare, aut Ecclesiastici corporis compaginem, discordia suæ seminatione, rescindere. Lib. IV. Ep. 2. Opp. p. 117.* Jam ipsamet dogmata conferamus. Dissidentes semel iterumque lapsis gratiæ & misericordiæ spem denegant, ut constitit *Secl. I. §. 5. 6.* Idem vero ipsum Novatiani, & palmarium quidem dogma erat: quod velex inscriptione libri, quem Cyprianus eidem opposuit *Lapsis spem veniæ non esse denegandam, elucescit. Vid. Opp. p. 500.* Sic autem in eodem tractatu pergit: *Novatianus non tantum, sicut Sacerdos vel Levites, jacentem vulneratum præterit, sed ingeniosa ac nova crudelitate sauciatum potius occidit, adimento spem salutis, (quasi terminum peremptorium dixerit) denegando misericordiam Patris, respuendo penitentiam fratris. Ibid. p. 501. Tu, Novatione, nullam*